

DISSERTATIO. II.

& tunc jus proximum formaliter dabitur. Hinc ad formam, distinguo majorem: eo quod voluntas habeat jus proximum, concedo; rematum, nego, & minorem de jure proximo. Ad probationem minoris, distinguo majorem: eo solum quod voluntas h[ab]eat carentiam necessitatis antecedentis habet formaliter jus proximum, nego, illativè, concedo. Demum alia hic, ex Godoi, & Goneti, solent argumenta ponni, quæ ad tractatum de scientia media spectant, ubi à nobis soluta sunt, diff. 2, sect. 3.

SECTIO III.

Aliqua pro quaestione sequenti præmit-tuntur.

Quia subsequens quæstio de tendentia decrei applicativi omnipotentiaz gravissima inter nos est, aliqua prius ad eam necessario sunt præmittenda. Præmitto ergo primo: quod divina volitio omnipotentiaz applicativa debet habere objectum a seipso distinctum, seu debet non seipsum habere pro objecto volito. Hoc præmissum est contra Patres Moncada, & Ramirez. de Prædestinatione, disp. 10. capite 5. ut igitur rationem illius percipias, nota, quod sicut in intellectu sunt aliqui actus *complexi*, nimirum aliquid de objecto enuntiantes, ut *judicium*; ali autem *incomplexi*, qui vocantur simplices apprehensiones; ita in voluntate sunt aliqui actus *complexi*, & sunt illi, quibus positive inclinatur, & fertur in esse rei, seu ad dan-

SECTIO III.

dandam rei existentiam, & hi vocantur *volitio-nes*, aut è contra in non esse rei, vel ad ne-gandam rei existentiam, & *nolitiones* appellantur.

Alij vero sunt actus *incomplexi*, & sunt illi, quibus simpliciter tendit in bonitatem, aut mali-tiam objecti, complacendo, nimirum, in una, & disiplacendo in alia, seu eam aversando, vo-canturque *amor*, & *odium*. Hinc sit, quod non omnis amor objecti est illius volitio: Deus enim se amat, quia in seipso complacet; non tamen se vult, cum non inclinetur ad dandam sibi existentiam: neque item omne odium ob-jecti est illius nolitio: Deus enim odio habet peccatorem, quem conservat; non tamen illum non vult, alias ei existentiam negaret. Ex his ergo ratio præmissi deducitur, quia omnis vo-litio rei est actus complexus, & practicus ten-dens ad dandam ei existentiam; sed volitio Dei nequit tendere ad dandam sibi existentiam, ut patet: ergo debet non seipsum habere pro ob-jecto volito.

Sed contra insurgit Moneada, & ex eo Ra-mirez: quia amor, quo Deus se necessario amat, habet seipsum pro objecto, cum seipsum amet: deinde Deus amat odium, quo ipse prolequitur peccatorem; sed ille amor odij est ipsum odium: ergo amor odij est amor amoris; ac per conse-quens potest divinus actus seipsum velle. Ve-rum hoc argumentum non urget nos, quia licet amor alicujus objecti possit esse reflexus, seu amor sui; nulla tamen volitio potest esse volitio sui propter datam rationem, in qua pater eviden-

DISSERTATIO II.

ter disparitas. Deinde , ut dicitur in tractatu de voluntate , amor, qui tantum esset amor sui , & non alterius a se aliquo modo distincti est inexplicabilis ; at amor, quo Deus se necessario amat non solum solum , sed etiam Personalitates ab eo virtualiter distinctas, & Attributa distincta formaliter amat.

Vidit hanc solutionem Ramirez, supra num. 111. & sua sententia aptat: ait enim quod licet volitio , quam admittit , solum velit *omnipotentiam esse paratam* ; ac proinde ipsam ; tamen dantur in ea diversæ formalitates , scilicet, *volitionis* , & *preparationis*, indequè non est fatua , & inexplicabilis. Sed contra : quia pace tanti Magistri, non est benè aptata solutio : etenim amor, quo Deus se amat , amat aliquid , quod formaliter non est ipse , & non præcisè quoad voces , nimirum , omnipotentiam, immenitatem, æternitatem , &c. sed ea volitio non vult aliquid , quod formaliter non est ipsa , nam solum est volitio præparationis , & ipsa volitio per te est formalissimè præparatio: ergo. Jam ad argumentum , vel concede totum , negando subillationem , vel distingue assumptum: habet ipsum præcisè pro objecto , nego ; & etiam alia à te virtualiter , vel formaliter distincta, concedo , & idem dic de amore odij , qui etiam est aliorum amor.

Contra tamen iterum arguit Pater Moncada: non magis repugnat amor suiipsius , quam suiipsius productio ; sed non implicat entitas, quæ sit suiipsius productio , quia non repugnat terminus identificatus cum determinatione , seu

actione

SECTIO III.

actione sui productiva; ergo non implicat quod volitio applicativa omnipotentia sit amor , seu volitio suiipsius. Hoc etiam argumentum desumpit à Moncada , Ramirez. Ad illud distinguo maiorem : amor lui , qui sit actus complexus, seu volitio , nego ; qui sit actus incomplexus , concedo , & minorem , ac nego consequiam , cuius est disparitas ; quia actio determinatio , seu productio rei est ipsa *datio* actualis existentia , quæ quidem non petit essentialiter realem præcedentiam ad existentiam datam indeque cum ea identificari potest, at volitio est *existentia*, *postulatio*, seu *inclinatio* ad existentiam rei , quæ supponitur non existens , ideoque cum ea identificari nequit.

Præmitto secundo : quod volitio omnipotentia applicativa non habet pro objecto , in quod practice rendat , ipsa libertatis activæ constitutive ; sed solum libertatem passivam , seu actum creaturæ , qui indivisibiliter est actus omnipotentia. Ratio primæ partis est , quia adhuc positis ceteris libertatis activæ constitutivis , scilicet, voluntate , auxilio gratia , & carentia prædeterminationis potest Deus non applicare suam omnipotentiam ad actum , ut constat à simili : nam decretum de igne , & passo , & contigua præsentia eorum non est omnipotentia applicatio ad comburendum, ut est evidens in igne Babilonico: ergo volitio applicativa omnipotentia non habet pro objecto libertatis activæ constitutive , alias his positis , non posset non dari omnipotentia applicatio , quod est falsum.

DISSERTATIO II.

Ratio secundæ partis est: quia volitio applicativa omnipotentiaz non habet pro objecto libertatem activam, ut jam est probatum; sed neque seiplam: ergo solam libertatem passivam pro objecto habet. Probatur minor: si haberet seiplam pro objecto, vel esset tendens in seipsum, ut actus complexus: & hoc non, ut patet ex primo præmisso: vel ut actus incomplexus, seu ut amor sui, & hoc modo non est applicatio omnipotentiaz: nam omnis divina volitio est suipius amor, & tamen non omnis est applicatio omnipotentiaz, ut patet: ergo non habet pro objecto seiplam.

Præmitto tertio: quod licet juxta dicta in primo præmisso, non omnis amor objecti sit ipsius volitio, neque omne odium nolitio; atamen potest idem actus esse amor, & volitio ejusdem objecti, ut quando tibi proponitur objectum bonum, & à te causabile, potes per eundem indivisibilem actum, illud amare, & velle: pariter potest idem actus esse volitio objecti, & odium ipsius, nam Deus per eundem actum per quem odio habet peccatorem potest illum velle conservare, cum odium non sit propria *fuga*, sicut est *nolitio*, & in identitate proinde eorum actuum nulla appareat implicantia.

Præmitto quarto: quod divina volitio potest esse *subjectivè efficax*, & est ea, quæ tanto conatu, & ardore tendit in suum objectum, ut cum eo sit essentialiter connexa, & profus infrastrabilis: & esse potest purè *inefficax subjectivè*, ea, scilicet, quæ ita quasi legniter, & tepidè in objectum

SECTIO III.

jectum tendit, ut ab eo possit separari, & vel neque ponit ullum medium, neque potentiam executricem applicat; vel si aliquod medium ponit, non est illud efficax, aut ejus efficacia ab alieni pendet arbitrij cooperatione. Demum esse potest *semiefficax*, & media inter efficacem, & inefficacem, nimirum, ea, quæ seria est, & ex te efficaciter applicat potentiam; verum dependenter ab aliena libertate, & cooperacione quoad executionem.

Præmitto quinto: quod libertas *activa*, vel est purè contradictionis, & est, quæ versatur inter extrema contradictoria, ut inter amorem, & ejus omissionem puram, aut inter odium, & ejus puram omissionem; vel *contrarietatis*, & est, quæ datur ad extrema contraria, ut ad amorem, & odium; vel *mixta*, ut quæ versatur inter amorem, & odium, & puras omissiones utriusque: vel denique *anonyma*, ut inter electionem A, & electionem B. inter se componibiles. Tandem præmitto sexto: quod ut nostri Doctores tenent, & docui in Philosophia, Deus determinat, determinatione *negativa* hominem ad individuationem sui actus, nam cum homo individua non dilcernat nequit hoc individuum præ illo determinare. His positis ut tendentiam, & objectum divini decreti applicativi omnipotentiaz explicemus, sic.